

bunt in genua ; et Celebrans cantat Preces ; solus Celebrans assurgit cum dicit : *Dominus vobiscum* ; tono feriali simplici cantat Orationem, dein *Ÿ. Requiem* ; Cantores cantant sequentem *Ÿ. Requiescant in pace* ; atque ita fiet Vesperarum finis. Celebrans accedit ante Altare, et facta inclinatione, vel genuflexione, sicut in accessu, præcedentibus Acolythis, revertitur ad sacrarium.

§ 2. De Matutino et Laudibus

1. Altare ornatur ut supra pro Vesperis præscribitur, sed non præparantur scamnum aut legile ad latus Epistolæ ; Celebrans enim occupat primum a parte Evangelii chori subsellium. In medio chori statuitur legile nudum cum Breviario, ad canendas Lectiones.

2. Celebrans induitur superpelliceo, et pluviali nigro, aut saltem stola nigra ; reliqui omnes induuntur superpelliceo ; et accedunt omnes ad loca præparata in choro. Celebrans accedit ad Altare, inclinatur profunde ad Crucem, vel genuflectit coram Tabernaculo, et mox in ultimo gradu genuflexus brevem dicit Orationem, dein iterata reverentia, accedit ad primum locum præparatum a parte Evangelii.

3. Omnibus paratis, duo Cantores procedunt ad legile in medio chori positum, et genuflexionem ad Altare, inclinationemque ad chorum, primum a sinistris dein a dextris, exsequuntur. Celebrans et omnes assurgunt, et Cantores incipiunt Invitatorium ; Clerus respondet, et ad verba *Venite adoremus et procidamus ante Deum*, omnes conversi ad Crucem Altaris genuflectunt.

4. Completo Invitatorii cantu, duo Cantores, iteratis reverentiis ad Altare et ad chorum, redeunt ad locum suum.

5. Chorus statim incipit cantare Antiphonam, et incepto primo Psalmo, Celebrans et chorus considunt, cooperto capite.

6. Post Versum Nocturni, assurgunt Celebrans et Clerus, et recitant secreto *Pater noster*.

7. Comitante Cæremoniario, accedit ad legile, in medio chori positum, qui cantaturus est primam Lectionem, et peracta ad Altare genuflexione, ac ad chorum incli-

natione, cum omnes sederint post *Pater noster*, cantat primam Lectionem.

8. Terminata Lectione, Lector iteratis reverentiis ad Altare et ad chorum, redit ad locum suum et sedet. Interea a Cantoribus cantatur Responsorium, et in fine Responsorii accedit, eodem modo quo præcedens, sequens Lector ad legendam Lectionem.

9. Nonam Lectionem non cantat Celebrans, sed aliquis seniorum, ad legile in medio chori ; cum cantatur nonum Responsorium, amovetur e medio chori legile.

10. Statim post nonum Responsorium, Cantores cantant Antiphonam Laudum, ad cujus intonationem neque Celebrans neque chorus assurgunt. Laudes cantantur sicut Vesperæ. Quum incipitur Canticum *Benedictus*, omnes assurgunt, et resedent ad repetitionem Antiphonæ ; dein omnes procumbunt in genua, et dicuntur Preces et Oratio, sicut in Vesperis.

11. Terminato Officio, chorus assurgit, et ordine usitato bini et bini omnes revertuntur ad sacristiam, facta genuflexione ante Crucem Altaris. Ultimo loco incedit Celebrans, qui in medio ante Altare vel profunde inclinatur ad Crucem, vel genuflectit coram Tabernaculo.

APPENDIX

235. De servandis in privata Officii divini recitatione

1. Oratio *Aperi* ante Officium, et Oratio *Sacrosanctæ* (a S. Bonaventura composita) post Officium non sunt de præcepto, sed valde consuluntur. Ecclesiam maxime in votis habere ut Oratio *Aperi* numquam omittatur, satis patet : ejus enim recitatio est præparatio ad rite dicendum Officium divinum maxime congrua. Quoad Orationem *Sacrosanctæ* notandum venit, quod ad lucrandum indulgentiam vel fructum hujus Orationis, necessario flexis genibus sit dicenda, et nequidem in casu legitimi impedimenti ambulando vel sedendo recitari valeat. Attamen Pius IX, ex speciali gratia clementer indulsit, ut Oratio, pro lucranda indulgentia a Leone X adnexa, seu fructu dictæ Orationis, etiam non flexis genibus recitari possit ab iis qui legitime im-

pediti fuerint infirmitatis tantum causa. (S. Congregatio Indulgentiarum, Decr. 26 Julii 1855, in edit. 1883 n. 368.) (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 225; et XIII, 1899, pag. 263.)

2. Ex communi interpretatione, Rubrica quæ præscribit quasdam preces genibus flexis in Officio divino recitandas, solum Chorum respicit, quamvis laudabiliter in privata recitatione observetur. (S. Alphonsus, *Theologia moralis*, Lib. V, n. 179, IV.)

3. Quoad signa Crucis, exstant declarationes sequentes S. Rituum Congregationis: Primum rogata S. Rituum Congregatio circa signum Crucis faciendum, tam in Choro quam extra, ad *Magnificat* et *Benedictus*, declaravit, esse faciendum ab omnibus, tam in Choro quam extra Chorum, juxta laudabilem communem praxim, præsertim in alma Urbe servatam. (Decr. 20 Decembris 1864, n. 3127, antiq. 5339, ad 2.) Dein rogata circa consuetudinem qua omnes in Choro signo Crucis se signant ad *Deus in adjutorium meum intende*, initio omnium Horarum et Laudum; ad *Adjutorium nostrum*, ante Confessionem; ad *Indulgentiam, etc.*; et ad *Benedictionem* in fine Primæ et Completorii; ad *Benedictus, Magnificat* et *Nunc dimittis*; — item pollice signant os ad *Domine labia mea aperies*, et pectus ad *Converte nos, Deus*; rescribere rata est, ut servetur hæc consuetudo. (Decr. 13 Aprilis 1867, n. 3156, antiq. 5380.) Responsum hoc datum fuit pro Choro, juxta dubium propositum; sed videtur posse extendi jure merito ad recitationem extra Chorum, vi Decreti 20 Decembris 1864. Inspectis tum Decretis supracitatis, tum consuetudine quæ exstat, sequentia signa Crucis etiam in privata recitatione proponuntur facienda:

I. Parvum formatur Crucis signum, cum pollice super os, ad verbum *Aperi* Orationis præparatoriæ, et in initio Matutini ad *Domine labia mea aperies*.

II. Signum Crucis a fronte ad pectus et ad humeros formatur:

- a) ad initium omnium Horarum et Laudum, sub his verbis: *Deus in adjutorium meum intende*;
- b) ad initium Canticorum *Benedictus, Magnificat* et *Nunc dimittis*;

c) ad *Adjutorium nostrum in nomine Domini*, ante Confessionem in Prima et in Completorio, et post Confessionem ad verba: *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum*;

d) sub fine Primæ post Lectionem brevem ad verba *Benedictionis: Dominus nos benedicat, etc.*, non vero ad præcedentem *Versum Adjutorium*.

e) sub fine Completorii, dum dicitur in *Benedictione: Pater, et Filius et Spiritus sanctus*.

III. Ad verba *Converte nos*, in Completorio post Confessionem, multi Crucem pollice formant in pectore, quam consuetudinem servandam esse declaravit S. Rituum Congregatio per Decretum supracitatum.

4. In privata recitatione Officium divinum eodem modo recitandum est, quam in publico seu communi Chori Officio, et nihil erit omittendum, aut immutandum, nisi specialiter sit præscriptum. Ea propter etiamsi solus Officium aliquis recitet, dicere debet *Domine vobiscum* (loquitur enim et orat cum Ecclesia ejusque nomine), et sibi respondere *Et cum spiritu tuo* (Rubricæ generales Breviarii, Tit. XXX, n. 3); item Lectionibus præmittendum est: *Jube, domne* (et non *Domine*), *benedicere*.

Quoad *Confiteor*, et *Misereatur*, in Completorio, et in Precibus Primæ, notant Rubricæ (Tit. XV, n. 2), quod, quando aliquis solus recitat Officium, semel tantum dicit *Confiteor*, omissis illis verbis *Tibi Pater* vel *vobis fratres*, et *Te, Pater* vel *vos, fratres*, et similiter dicit: *Misereatur nostri... peccatis nostris, perducatur nos*.

5. In privata recitatione inter socios, unusquisque secreto dicit *Pater, Ave, Credo*, sive ante, sive infra, sive post Horas; excepta Oratione Dominica infra Preces Vesperarum et Laudum, quæ ab uno clara voce pronuntiatur, alio attendente vel aliis attendentibus.

Confiteor, et *Misereatur*, in Completorio et in Prima ab alternis possunt recitari uti in Choro, vel semel tantum dici ab uno, quemadmodum ab illo qui solus recitat. Invitatorium, Hymni, Psalmi, Responsoria, Cantica, Preces, Antiphonæ B. Mariæ V., et omnia quæ in Choro alternatim dicuntur, ab alternis etiam debent recitari eodem modo. Non autem fas esset, ut, ex. gr., unus

primum pronunciet Psalmi versum, alius secundum, tertius tertium.

Antiphonæ dici possunt vel alternatim cum Psalmis, vel simul ab omnibus.

Lectiones ordine dicuntur a singulis, et unus Hebdomadarii munus obibit, qui dicet Benedictiones, et etiam Capitula et Orationes.

Advertendum est, oportere ut simul recitantes sese mutuo ac distincte audiant, caveantque ne quis unquam recitare incipiat, antequam alter desierit.

236. Incitamenta fervoris in Officio divino persolvendo

Centum orationes, ait S. Alphonsus, quas solus quis peragit, nullatenus tantum pretium habere possunt, quantum unica oratio Officii divini includit, quia hæc Domino totius Ecclesiæ nomine, et verbis Dei ipsius offertur. Ideo S. Magdalena de Pazzis dicebat, ad Breviarium comparatam omnem aliam orationem vel devotionem minoris esse meriti, minorisque efficaciam coram Deo. Firmiter nobis persuasum habeamus, post SS. Missæ Sacrificium nullum pretiosorem in Ecclesia thesaurum reperiri Officio divino, ex quo quippe quotidie flumina gratiarum haurire possumus.

(Apud Müller, *Theologia moralis*, Lib. II, §. 185; et in *Operibus asceticis*, Tomo XVI, p. 479.)

Obedientia Ecclesiæ præstanda nostraque ipsorum salus postulat, non tantum ut Breviarium quotidie recitemus, sed etiam ut eo, quo decet modo illud persolvamus. Hinc Concilium Aquisgranense primum, Cap. 109, dicit, sacerdotes aliosque ad Breviarium recitandum obligatos « memores angelicæ præsentiam cum timore et veneratione competenti cœleste Officium complere debere, ne, si, quod absit, id negligenter, inhoneste vel tepide expleverint, in sententiam qua dicitur: Maledictus homo, qui opus Dei facit negligenter, miserabiliter delabantur. » Quapropter necesse est, ut oratio nostra fiat :

1. **Digne**, quoad officium corporis et externa rerum adjuncta, quæ ita disponenda sunt, ut grandi negotio, quod cum Deo tractas, omnino congruant. Hinc antequam orationem inchoes summam Dei majestatem considerans, in locum decentem et orationi aptum secede. « Cum oraveris » monet Christus, « intra in cubiculum tuum, et clauso ostio ora Patrem tuum. » (Matth. VI, 6.) Stans cum reverentia Creatori tuo laudes exsolve, et pro tempore genua flecte. Deambulationem, saltem tumultuariam, evita, ne mentis evagatio, quæ inde nasci solet, fructum orationis intercipiat. Si quando ad sedendum debilitas vel lassitudo te compellat, juxta S. Bonaventuram saltem ad initium Officii, ad Invitatorium, ad Hymnos, ad Orationem dominicam et a Capitulo surgere non omittas. Etiam si in lecto ægritudinis decumbas, reverentiam nihilominus aliquam adhibe, prout potes. Irreverentes et pigros se probant, qui sine justa causa sedendo aut jacendo debitas Deo exsolvunt laudes. « Si Pater ego sum, ubi est honor meus? et si Dominus ego sum, ubi est timor meus? » (Malach. II, 6.) Nonne Christus positus genibus oravit, et procidit in faciem suam orans? (Luc. XXII, 41, et Matth. XXVI, 39.) Cave porro ne colloquia aut occupationes externas orationi intermiscas, vel nimia præcipitatione truncatisque verbis eam percurras, vel cum nausea et oscitatione demurmures, sed articulate, distincte, integre omnia pronuntia, ut decet eum, « qui », dicente Chrysostomo, « pro universo terrarum orbe legatus apud Deum et deprecator intercedit. »

2. **Attente**. Sapienter omnino et apposite S. Cyprianus: « Cum astamus, inquit, ad orationem, vigilare et incumbere ad preces toto corde debemus; cogitatio tunc omnis carnalis et sæcularis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogitet, quod precatur. Quæ autem segnitia est, alienari et capi ineptis cogitationibus et profanis, cum Dominum deprecaris? quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris! Quomodo te a Deo audiri postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui, quando tu ipse memor tui non sis? » (De Orat. Dom.) Oratio sine attentione non est oratio, sed orationis

simulatio, cui illud propheticum applicabitur: « Populus iste ore suo et labiis suis me honorat; cor autem ejus longe est a me. » (Isai. XXIX. 13.) « Spiritus est Deus, et qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. » (Joann. IX, 24.)

3. *Devote.* Attentio mentis id efficiat, ut Psalmorum versiculos animo volvens ac interpretationem eorum assequens affectu devotionis accendaris. Si autem non intelligis, reverere. Tene illud S. Augustini: « Si orat psalmus, orate; si sperat, sperate; si timet, timete; omnia enim, quæ hic conscripta sunt, speculum nostrum sunt. » Quod ut fiat, puro corde et a labe gravioris peccati libero ad orandum accede. Non enim, qui psalmi verba profert, sed qui mundo est corde justitiamque servat, hic digne psallit Deo. Quid prodest, hymnum cantare lingua, si sacrilegium exhalat vita? In ipso Horarum exorsu cor humiliatum et contritum Deo offer; intentionem tuam ad laudandum Deum, vel ad gratias Ipsi agendas, vel ad satisfactionem aliquam pro peccatis exsolvendam, vel ad Ejus opem invocandam dirige; imo cuilibet Horæ peculiarem intentionem vel oblationem præmitte. In ipso Officii decursu divinæ præsentiae memoriam renova, eoque finito aliquantulum in sinu Dei requiesce, donec ad alia negotia trans eas. Sic orando cognosces, quam verus sit sermo, quem dixit Jesus; « Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus et vita sunt. » (Joan. VI, 65.)

(Ex Libello precum Al. Schlör: *Clericus orans atque meditans.* Græcii. 1883.)

INDEX

SACRA LITURGIA — NOTIONES PRÆVIÆ

	PAG.
<i>Articulus I. De Sacræ Liturgiæ definitione, objecto, valore et obligatione</i>	1
<i>Articulus II. De fontibus Sacræ Liturgiæ Romanæ.</i>	9
<i>De Libris Liturgicis</i>	9
<i>De Decretis S. Rituum Congregationis</i>	12
<i>Articulus III. De diversis Liturgiis quæ hodie apud Catholicos in usu sunt.</i>	24
<i>Liturgiæ Orientales.</i>	25
<i>Liturgiæ Occidentales.</i>	27

TRACTATUS DE OFFICIO DIVINO SEU DE HORIS
CANONICIS

<i>Conspectus rerum quæ in Tractatu exponuntur</i>	30
--	----

PARS PRIMA

DE OFFICII DIVINI NOMINIBUS, ORIGINE ET PARTIBUS.	31
CAPUT I. <i>De nomine et origine Officii divini</i>	31
CAPUT II. <i>De partibus Officii divini speciatim</i>	35
Sectio I. <i>De elementis Officii materialiter sumpti.</i>	35
<i>Articulus I. De elementis quæ pertinent ad Psalmodium</i>	35
§. 1. <i>De Psalmis</i>	35
§. 2. <i>De Antiphonis.</i>	38
§. 3. <i>De Versibus</i>	40
§. 4. <i>De Absolutionibus</i>	40
<i>Articulus II. De elementis quæ pertinent ad Lectiones</i>	41
§. 1. <i>De Lectionibus in Nocturnis</i>	41
a) <i>De Lectionibus primi Nocturni.</i>	46
b) <i>De Lectionibus secundi Nocturni.</i>	48
c) <i>De Lectionibus tertii Nocturni.</i>	50
§. 2. <i>De Lectionibus brevibus</i>	51
§. 3. <i>De Responsoriis post Lectiones</i>	51
§. 4. <i>De Capitulis cum suis Responsoriis</i>	53
§. 5. <i>De Hymnis</i>	54
Auctores Hymnorum	57
<i>Hymnus « Te Deum laudamus »</i>	66
<i>Articulus III. De elementis quæ pertinent ad Orationem.</i>	68
§. 1. <i>De Orationibus</i>	68
§. 2. <i>De Precibus</i>	71
§. 3. <i>De Commemorationibus communibus seu Suffragiis Sanctorum</i>	73
§. 4. <i>De Antiphonis B. Mariæ V. in fine Officii.</i>	75